



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118472**

§. 54. Pontificis consilia de induciis Gallos inter & Cæsareos conciliandis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](#)

nem moliri; quantocius Borbonii Dux **Sæcul. XVI.**  
 iterum iterumque Sabaudiæ Ducem ob- **A.C. 1524.**  
 testatur, ut mutuas ei pecunias daret,  
 quibus acceptis in Germaniam equis **Guiche hist.**  
**Sab.**  
 veredariis delatus Norimbergam venit,  
 juncta que cum Georgio Fronspergio o-  
 pera ibidem inter trium hebdomadarum  
 spatiū copias conducere cœpit, nec si-  
 ne optato successu; quippe Fronsper-  
 gius decies mille veteranos milites col-  
 legit, eosque in Italiā duxit, Borbo-  
 nius quoque pro parte sua in Wirtem-  
 bergensi Ducatu itidem sex armatorum  
 millia conscripsit.

### §. LIV.

*Pontificis consilia de induciis Gallos  
 inter & Cæsareos conci-  
 liandis.*

Verum Lanoyus & Piscarius tam exi-  
 guam hujus auxiliī rationem habe-  
 bant, ut nequidem expectato nuncio de  
 successu itineris, quod Borbonius susce-  
 perat, eo absente quinquennales indu-  
 cias a Papa propositas acceptarent:  
 Obsttit tamen Galliarum Rex, præpe-  
 diente eum Boniveto Admirale, cuius  
 etiam contradictione compulsus Ponti-  
 fix privatum cum Rege fœdus sancire  
 moliebatur, ministerio usus Alberti Co-  
 mitis de Carpi, qui Sedis Apostolicæ

H h 3 nego-

**Sæcul. XVI** negotia apud Regem procurabat: Igitur præcipuis articulis utrinque acceptatis Gilbertum Veronensem Episcopum ablegabat, ut is, qui prior inducias proposuisset, jam eis ultimam quoque manum admoveret, cum vero Episcopus Cæsareorum castra pertransire deberet, decretum est, ut ad occultandam veram itineris caussam non jam inducias, sed omnino pacem sub iisdem tamen conditionibus Lanoyo proponeret. Ast ille cunctis hisce propositionibus surdas aures præbebat; quippe non ita pridem literas acceperat, quibus ei Borbonius significabat, Fronspergium jam-jam Italiæ fines cum decem Germanorum millibus fuisse ingressum. Nec acrius instabat Veronenfis Episcopus, cum & ipse Lanoyum Proregem ejusmodi consiliis obluctantem cernere gauderet, quo circa nonnisi publicæ securitatis literas petiit, obtinuitque, quibus munitus Regem adiit, qui foedus, cuius mox meminimus, ratum habuit.

## §. LV.

*Secreta Pontificis pæsta cum Galliarum Rege.*

*Raynald. an. num. 96.* **H**ujus Fœderis legibus Galliarum Rex fidem suam obstringebat, se Sedem Apostolicam, Medicæorum Familiam, nec-